

ponentes super uno pulchro¹ curru. Deinde rex et regina omnesque peregrini ad hoc cum populo toto, hii omnes similiter congregati ipsum educunt de ecclesia cum cantibus magnis et omni genere musicorum. Hoc autem ydolum cum sit eductus de ecclesia ejus, multæ virgines binæ et [binæ] ipsum² antecedunt euntes canendo mirabiliter ante ipsum.³ Deinde accedunt etiam peregrini qui evenerunt ad hoc festum, et ponunt se sub isto curru, facientes eum super se transire cum dicunt se velle mori pro Deo suo. Et sic currus transiens super illos qui sunt sub eo, cunctos illos frangit per medium et scindit, unde statim moriuntur.⁴ Sic autem faciendo ydolum ipsum ducunt usque ad unum locum deputatum, ad quem locum cum ipsum adduxerunt illum ad locum pristinum reducunt cum cantibus magnis et instrumentis sicut prius. Et sic non est annus in mundo in quo plures quingentis hominibus non moriantur isto modo. Horum autem corpora ipsi accipiunt et comburunt,⁵ dicentes ea esse sancta cum se mori promiserint pro deo suo.⁶ Aliud quoque fit ab istis, nam venit aliquis dicens, Volo me interficere pro deo meo, unde veniunt amici parentes et omnes hystriones de contrata ad faciendum illi festum, qui voluit pro deo suo mori. Unde appendunt ad collum ejus quinque cultellos acutissimos et ipsum⁷ ducunt ante ydolum, tunc ille accipit unum ex cultellis illis acutissimis, et alta voce clamat dicens, Pro deo meo michi incido de carne mea. Cum autem inciderit de carne sua, de loco illo in quo voluit, eam projicit in faciem ydoli dicens; Me mori permitto⁸ pro deo meo; et sic ibi tandem se interficit pro deo suo. Statimque ipso mortuo corpus ejus comburitur cum illud credatur ab illis esse sanctum quia pro deo suo se ipsum peremit. Sic autem multa alia magna et mirabilia fiunt ab istis quæ minime sunt scribenda. Rex autem insulæ vel provinciæ⁹ hujus multum est dives, videlicet auri argenti lapidum preciosorum. In hac autem insula tot bonæ perlæ inveniuntur sicut in aliqua parte mundi, et sic de multis aliis quæ in ista insula reperiuntur. Quæ etiam nimis longum esset scribere.

20. *De Contrata Lamori quæ non videt tramontanam, et de Sumoltra.*

De hac contrata recedens et iens versus meridiem veni per mare oceanum quinquaginta dietis¹⁰ ad unam contratam que vocatur Lamori,¹¹ in qua incepti amittere tramontanam cum terra michi acceperit eam. In ea autem ita inmensus est calor quod omnes illi[tam] homines quam mulieres vadunt nudi,¹² nullo se cooperientes. Hii de me multum truffabantur,¹³ qui dicebant Deum Adam fecisse nudum, et ego me malo suo velle vestire volebam.¹⁴ Nam in ista contrata omnes mulieres sunt positæ in

¹ *Hak.* pretiosissimo.

² *Ven.* instead of binæ et has hinc et hinc; *Far.* binæ et blnæ; also *Hak.* et *Mus.*

³ *Hak.* processionaliter combinate modulantes; *Mus.* nearly the same.

⁴ *Hak.* et per hoc reputant se mori pro deo suo sancte et secure.

⁵ *Hak.* et cineres sicut reliquiæ custodiuntur.

⁶ *This about the burning, etc., omitted in Mus.*

⁷ *Ven.* cum magnis cantibus.

⁸ *Ven.* dicens mori promitto.

⁹ *Mus.* illius regionis.

¹⁰ *Far.* has xv dietis.

¹¹ *Hak.* Lammori; *Mus.* has vocatam Sustabor (?) sive Lamory.

¹² *Far.* has only mulieres....nudæ.

¹³ *Ven.* et tu vis ultra ejus velle vestiri.

¹⁴ *Hak.* and *Mus.* qui videntes me vestitum deridebant me, dicentes Deum Adam et Evam fecisse nudos; *Boll.* Deus Adam nudum fecit, cur tu vestitus ambulas contra naturam? *Malo suo velle* = Malgré lui.